



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Ioanni Gelidæ XLV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

162 IVLII CÆSAR. SCAL.  
nuitatem, neque ipse oneri, qui non tam de  
opera tua, quam de splendore suâ fortunam  
est fabricaturus..

IOANNI GELIDÆ  
XLV.

CREBRIORIBVS literis præstarem of-  
ficium te salutandi: simul explerem ani-  
mum meum colloquendi tecum , quando  
hic quicum conferam curas meas Philolo-  
giæ habeo ncminem. Verum quia nullum  
mihi te dignum suppeterat argumentum:  
quo modo implerem miseras chartas va-  
cuo ? vacuum sane illud omne fore vide-  
bam , quod non esset nouum. At quid no-  
uum tibi eruditissimo, atque perpetuis exer-  
citationibus absolutissimo ? Quid igitur  
aliud ad te scriberem , quam de liberorum  
nostrorum studiis ? quos cum frequentibus  
eorum literis tibi sciam commendatissi-  
mos: si quid submoneam , videar tum ine-  
ptus,tum ingratus de fide tua, quæ mihi per-  
spectissima est , de humanitate, quæ in ore  
omnium versatur , dubitare. Amor tamen,  
ac tanto magis vel caritas, vel pietas aut ex-  
eca sane res est, aut contra plus quam par est,  
cernit. Interdum enim non videt, quæ sunt.  
est

est ubi putet se affici obiectu specierum ,  
quæ nusquam tamen extant. Itaque solici-  
tudo hæc erga liberos etiam a seipsa pensum  
exigit, idque non raro importunc. Cum ta-  
men ad magnitudinem tuorum respicio  
meritorum , atque in memoria hæret sedu-  
litas, diligentia, opera tua: tum vero acqui-  
escit animus in tua singulari beneficentia:  
quæ ut sit perpetua , rogarem amplius , nisi  
quæ iam scribebam , prohiberent. Vale vir  
optime, ac vniuersæ familiæ nostræ patrono  
bene meritissime. Idib. Octobr.

## E I D E M . XLVI.

**C**VM crebris literis certior fierem de tua  
singulari erga liberos meos pietate, per-  
beatam iam esse familiam nostrâ iudicaui,  
cuius gloria a ferocia militari ad animi cul-  
tum diuini viri auspiciis transferatur. Non  
igitur tibi præterea gratias agendum puta-  
bam: tum quod semel apud bonos & sa-  
pientes viros actum & decore & satis esse  
existimabam, tum quod in immensum ex-  
crescebat opus. Nam qui ad epistolâ meam,  
quæ hoc genere officiū fungeretur , luculen-  
tissimis humanissimisque literis respondis-  
ses, quo magis augebas tua merita , co plus

L 2

nobis